In questo Libro vi sono inserte le seguenti Opere, cioè

Dissertazione Tusculana sopra un' antica Iscrizione sepolcrale, appartenente ad una ornatrice. Opera di Fran.co Eugenio Guasco. f. 39.

Dissertazioni, e Lettere Filologiche antiquarie del P. Ant.o Maria Lupi. 87.

Lettere XX. Filologiche, Geografiche, ed antiquarie dirette a diversi. fogl. — — — . 140.

Gruasco +

hie pr

ALPHABETUM
VETERUM ETRUSCORUM
E T
NONNULLA EORUMDEM MONUMENTA.

ROMAE MDCCLXXI.
Typis Sac. Congregationis de Propag. Fide.

Praesidum Facultate.

CLEMENTI . XIIII . P. O. M

BONO . CHRISTIANAE

AC . LITTERARIAE . REIPVB. NATO

FVNDATORI . PVBLICAE . SECVRITATIS

IVSTITIAE . AEQVITATISQVE . RECTORI

CVIVS . STVDIVM . IN . ERVDITIONEM

ET . ANTIQVA . MONVMENTA

CETEROS. AD . IMITATIONEM . EXEMPLO . EXCITAT

ALPHABETVM . VETERVM . ETRVSCORVM

OMNIBVS . FORMIS . TYPOGRAPHICIS . INSTRVCTVM

QVOD

STEPHANVS . BORGIA

A . SECRETIS . S. CONG. DE . PROP. FIDE

CIMELIIS . TYPOGRAPHIAE . EIVSDEM . CONGREGAT

SVA . IMPENSA . ADDENDVM

PRELOQVE . CVDENDVM . CVRAVIT

BEATISSIMO . AC . FELICISSIMO . PRINCIPI

PIETATIS . SVAE . ERGA . EVM . TESTIFICANDAE . GRATIA

ET . NOMINIS . EIVS . IN . PERPETVVM . CELEBRANDI

LIBENS . MERITO . DD

LECTORI ERUDITO

IOHANNES CHRISTOPHORUS AMADUTIUS
Praeſes Typographiae Sacrae Congregationis
de Propaganda Fide.

I. *NEMO nobis temeratae Religionis dicam impingat, ſi Etruſcarum Litterarum Alphabetum excuſum typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in lucem nunc proferri a nobis videat, cum ipſum nihil ad Chriſtiani nominis incrementum, quod heic unice conquiritur, & ad quod noſtra omnia ordinantur, pertineat, nullaque eidem, niſi Ethnicorum, quae impia ſunt, ſacra fuerint concredita. Siquidem nihil aliud nobis praeſtare nunc mens fuit, quam ceteris exoticarum Linguarum Alphabetis, quae in hac Typographia, tamquam in inſtructiſſimo huiuſmodi Cimeliorum Armamentario, adſervantur, hoc ipſum ſuperaddere, quo eorumdem Alphabetorum ſeries plenius, inſigniuſque excreſceret. Quamquam ſi eruditiſſimum Virum, & de Tyrrhenorum idiomate, ac monumentis optime meritum Iohannem Baptiſtam Paſſerium Piſaurenſem audiamus, haud oppido rufugienda a nobis videatur ipſa vetus Tuſcorum θρησκεία, cum ex eius ſententia(1) inter Etruſcorum μυςήρια*

(1) *Vid. Diſſert. de Arcana Etruſcorum Philoſophia To. II. Pict urar. Etruſcorum in Vaſculis.*

vera Dei cognitio, revelata Religio, divina hominis creatio, naturae lapsae conditio, eiusque detrimenta, Angelorum bonorum famulatus, pravorum supplicium, animae immortalitas, aeternarum poenarum locus, leviorum criminum punitio, ceteraque Christianae Religionis placita non obscure deprehendantur. Haec omnia quidem etiam animo obversabantur Praesuli Clarissimo, eidemque probitate, eruditione, sapientia, editisque bonae frugis operibus spectatissimo Stephano Borgiae a Secretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide; cum Etruscarum Litterarum chalybeas formas, aeneas matrices, & plumbeos typos, qui privatis manibus detinebantur, comparare curavit, atque haec omnia Typographiae nostrae pro sui munificentia, ac liberalitate donata voluit; quo etiam fieri animadvertit, perpetuo haec ipsa ad litterarum, eruditionis, quin & Religionis ipsius, cui etiam profana studia non raro suppetias veniunt, ornamentum, atque praesidium duratura, quae sane citra hanc curam fortasse brevi dispersa, atque neglecta rubigo immerito absumpsisset. His adde, obtinuisse iampridem Typographiam nostram nonnullas Etruscorum characterum ligneas formas praesertim ex Albangio, Gruterio, & ex Eugubinis Tabulis petitas, quae etiamnum supersunt, sed quae tamen a nobilitate, praestantia, ac diligentia earum, quas modo ex Cl. Praesulis munere obtinuit, quam longissime absint.

II. *Verumtamen etiam ad hoc pellicere ipsum visa est pietas in Cl. Virum sibi necessitudine, dum*

dum vixit, coniunctum, Antonium Franciscum Gorium Florentinum, qui totam hanc Etruscarum Litterarum supellectilem ab immortali Philippo Bonarotio iamdiu paratam obtinuerat, eamque ad sua dein opera scite exornanda pro dignitate adhibuerat. Tum ipse etiam amor in Patriam, ac in ceteras Pontificiae Ditionis Civitates mirificum, quo incenditur, studium stimulos addidit; siquidem satis nota sunt Numismata Etruscis litteris IꓷOAꓶƎV Velathri *inctructa, quae primum edidit Cl. Praesul Raphael Fabrettius Urbinas* (1), *quaeque sane ad Velitras in Volscis amplissimi Donatoris Patriam referre nihil vetat; quod sane iampridem etiam laudatus Gorius* (2), *tum Cl. Marchio Scipio Maffeius Veronensis* (3), *ac doctissimus Ianus Plancus Ariminensis* CLEMENTIS XIIII. *P. O. M. Archiater extra ordinem* (4) *existimarunt. Siquidem novum non est, Etruscorum ritus, ac litteras in Campania etiam obtinuisse, cum Campanos Tuscorum partem fuisse, laudatus etiam Passerius* (5) *contendat, ut proinde Vasa omnia, quae in Campania deteguntur [quid & de ceteris Monumentis idem*

 vetat

(1) *Inscript. Domest. Cap. VII. n.* 377., & 378. *p.* 528.

(2) *Mus. Etrusc. Tom. I. pag.* 427.

(3) *Osservazioni Letterar. Tom. IV. pag.* 35.

(4) *Vid. Epistolam in Ephemeridib. Florent. Cl. Ioh. Lamii anni* 1751.

(5) *Vid. Vindic. Etrusc. Tom. I. Pictur. Etrusc. in Vascul. pag.* XXV., & XXVI.

vetat asserere ?] *inter Etrusca adnumerare non dubitet , ac longe Romanae magnitudinis tempora excedere eadem quoque propugnet . Ceterum ipse Passeriius* (1) , *tum etiam Cl. Praesul Marius Guarnaccius Volaterranus* (2) , *qui Numismata haec magna copia collegit , aeneisque Tabulis insculpsit , ad Volaterranam Civitatem spectare eadem maluerunt , nudis dumtaxat coniecturis adiuvantibus , ac ipsis quinetiam vocis* IDOAVƎV Velathri *elementis repugnantibus , quorum plura* Velitris *respondere ; quam* Volaterrae , *nemo negaverit . Ceterum ut quid Velitris rependeret Guarnaccius ob tot adempta Numismata , eidem Urbi alia adiudicavit Graeca prorsus , atque hac signata Epigraphe:* ΥΕΛΗΤΩΝ (3) , *in quibus dispeream , si Veliternos indicari censeam , non autem ignotos alios potius Magnae Graeciae Populos .*

III. *Insuper vero ceterae etiam Pontificiae , Ditionis Civitates & Etruscis Litteris signata Numismata , & Etrusca alia Monumenta iisdem commendata characteribus adhuc ostendunt , ut Tyrrhenici Alphabeti curam gerere etiam e re nostra sit .*

---

(1) *Dissert. de Re Nummaria Etruscor. Cap. VIII. pag. 181. in Paralipomen. ad Etrur. Regal. Dempsterii . Lucae 1767.*

(2) *Origini Italiche &c. di Monsig. Mario Guarnacci ; Lucca 1767. Tom. II. Libro VI. Cap. IV. pag. 280. , & seqq. Tab. XX. , XXI. , & XXII.*

(3) *Loc. cit. pag. 275. Tab. XIX. n. 2. , 3. , 4. , & 5.*

ſit. Vetus namque, & nobilis Tudertina Civitas in Umbria huiuſmodi Numiſmatibus apprime abundat, quae nomen 𐌕𐌖𐌕𐌄𐌓 Tutere *Etruſcis expreſſum elementis praeſeferunt, quaeque Fabrettius ipſe* (1), *Paſſerius* (2), *& Guarnaccius* (3) *ediderunt. Sua Numiſmata Etruſce loquentia habuit & Nuceria, ſi Thomam Dempſterium* (4), *& Ant. Franc. Gorium* (5), *tum & Guarnaccium* (6) *audiamus, in quibus & compendioſe* 𐌍𐌅𐌊, *nempe* 𐌍𐌅𐌊kria, *&* 𐌌𐌖𐌍𐌉𐌀𐌊𐌄𐌅𐌍 Nufkrinum *legitur, etſi Paſſerius* (7) *Numiſma decurtata Epigraphe inſtructum ad Populoniam pertinere ſuſpicetur. Peruſiae inſuper ſua adſcivit Numiſmata Maffeius* (8), *in quibus eiuſdem nominis veſtigium invenire ſit in mutilis litteris* 𐌅𐌀𐌄 ERV; *quamquam de eodem Numiſmate addubitet Guarnaccius* (9), *ut & de altero Sellariano addubitavit Paſſerius* (10). *Etruſce quoque inſcripta Numiſmata fuerunt olim Eugubio, in quibus* 𐌉𐌊𐌖𐌅𐌉𐌍𐌉 Ikuvini *legendum venit, quaeque eruditiſſimus Philippus Bonarotius,*

---

(1) *Loc. cit. num.* 376. *pag.* 528.
(2) *Vid. Diſſert. de Re Nummar. Etruſc. loc. cit.*
(3) *Vid. loc. cit. pag.* 268. *Tab.* XVIII. *n.* 1. *ad* 9.
(4) *Etrur. Regal. Tab.* LXI. *num.* 1.
(5) *Muſ. Etruſc. Tom.* II. *pag.* 423. *Tab.* CXCVII.
(6) *Loc. cit. pag.* 243., *& ſeqq. Tab.* XIV.
(7) *Loc. cit. pag.* 175.
(8) *Oſſervaz. Letter. Tom.* V. *pag.* 307. *Tab.* IV.
(9) *Loc. cit. pag.* 251.
(10) *Loc. cit. pag.* 187. *Tab.* V. *num.* 12.

tius (1), *& Vir Cl. Hannibal Oliverius Piſaurenſis* (2), *tum etiam laudatus Paſſerius* (3), *& Guarnaccius* (4) *ediderunt . Piſauro quinetiam Numiſmata tribuuntur , in quibus Etruſcis litteris ſignatur* 𐌐𐌉𐌔 Pis, *quae poſt Goltzium , & Auguſtinium* (5) *ediderunt Spanhemius* (6), *Gorius* (7), *Oliverius* (8), *ac omnium poſtremus Guarnaccius* (9). *Ravennae praeterea Numiſmata adſcripſit Oliverius* (10), *& Guarnaccius* (11), *quae ab Arrigonio* (12) *proferuntur , & in quibus Etruſcis characteribus exſtat Epigraphe* 𐌅𐌄𐌓𐌀 Raev, *quae quidem pro* 𐌄𐌉𐌓𐌀 Rave *ſit , ob commutationis E in V apud Etruſcos facilitatem ; quod ſi haud improbetur , iam Hebraicae origini , quam*

(1) *Ad Monumenta Etruſca Operi Dempſteriano addita Explicationes , & Coniecturae Phil. Lonarotae ; Florentiae ex Typogr. Michael. Neſtenus Tab.* LIX. *num.* 4.

(2) *Spiegazione di alcuni Monumenti degli antichi Pelaſgi &c. In Peſaro* 1735. , *e nel Tom.* II. *de' Saggi di Diſſer. Accademiche di Cortona .*

(3) *Loc. cit. pag.* 179. *Tab.* IV. *num.* 2. , *&* 3.

(4) *Loc. cit. pag.* 231. *Tab.* XI. *num.* 2. , *&* 3.

(5) *Dialog.* V. *pag.* 174.

(6) *De Uſu , & praeſt. Numiſ. Diſſert.* V. §. 7.

(7) *Difeſa dell' Alfabeto degli Antichi Toſcani .*

(8) *Diſſertaz. della Fondazione di Peſaro pag.* 25.

(9) *Loc. cit. Tab.* XV. *num.* 3. , *&* 4.

(10) *Cit. Diſſert. pag.* 45.

(11) *Loc. cit. pag.* 259.

(12) *Num. antiquiſſ. Tab.* XVIII. *num.* 67.

quam ὁ πάνυ *Alexius Symmachus Mazochius* (1) *Ravennati Urbi attribuit, dum illius nomen a* רָוֶה Raveh ῥύτον irriguum, *quod nempe in lacunis olim sita esset, derivavit, aliqua saltem accedere auctoritas videbitur. Tandem Etruscorum Numismatum in Ditione Pontificia agmen claudet, quod Ariminensi Civitati tribuit Guarnaccius* (2), *quodque in Museo Cl. Iani Planci Arimini adservatur, cum ex litteris* AR *simul iunctis sive Graecis, sive etiam Etruscis, quibus* R *Latinum quoque convenit, ut utriusque fert opinio, Ariminum non aegre se prodat.*

IV. *Praeter Numismata alia etiam sunt Etrusca Monumenta, quae adservantur, quaeque etiam persaepe eruuntur in ipsis Ditionis Pontificiae locis quampluribus. Quid enim celebrius, ut a potioribus initium faciamus, Eugubinis aeneis Tabulis, quae septem numero habentur, & quarum quinque duplici latere scriptae sunt, reliquae duae uno dumtaxat, ut omnes simul* XII. *paginas constituant? Earum siquidem partem aliquam Etruscis exaratam litteris edidit omnium primus Henricus Smetius* (3), *tum Ianus Gruterius* (4), *ac*

---

(1) *Dissertaz. sull' origine degli antichi Tirreni, Diatriba* III. *pag.* 34. *Tom.* III. *de' Saggi di Dissertaz. Accademiche di Cortona.*

(2) *Loc. cit. pag.* 260. *Tab.* XVI. *num.* 8.

(3) *Inscr. antiq. anni* 1588.

(4) *Inscr. antiq. pag.* CXLII., *& seqq.*

ac dein [ut plures alios superioris saeculi Scriptores praetereamus] communibus elementis expressam, & explanatione donatam partem eamdem denuo vulgavit Vir Cl. Ludovicus Bourguetius (1), *& laudatus Oliverius* (2); *quemadmodum integras, & Etrusce loquentes singulas has Tabulas protulerat Dempsterius* (3), *& post eum iterum etiam edidit Passerius* (4), *at ea tamen varietate ordinis, ut quae nempe prima est Passerio, VI. a tergo Dempsterio sit, ut de ceteris nunc sileamus. Tandem & alteram ex Tabulis hisce vulgaverat Gorius* (5) *Etrusce exaratam, quae apud Dempsterium secunda est, XI. apud Passerium. Magni quin etiam facienda venit bilinguis Inscriptio, Latina nimirum, & Etrusca, Pisauri in Porticu Publici Palatii exsistens, & ab Oliverio* (6) *edita, quam & nos proferemus inferius. Nota est insuper Inscriptio Etrusca, quae in prospectu Cryptae sepulcralis apud antiquam Falarim, quae nunc Civitas Castellana dicitur, legenda occurrit, quamque Bonarotius* (7) *publica luce donavit:*

Tum

---

(1) *Biblioteque Italique, ou Histoire Letteraire de l' Italie &c. a Geneve* 1728. *Tom.* III. *Art.* VIII.

(2) *Cit. Opere: Spiegaz. di alcuni Monum. &c.*

(3) *Etrur. Regal. Tom.* I. *pag.* 91.

(4) *Paralipom. ad Etr. Regal. Dempsterii ad calem.*

(5) *Mus. Etrusc. Vol. I. post Prolegomen. ad eamd. Tabulam pag.* LV.

(6) *Marmor. Pisauren. pag.* II. *num.* XXVII.

(7) *Loc. cit. Tab.* LXXXII. *num.* I.

Tum laudatus Auctor inter loca Etruriae, in quibus Etruscae Inscriptiones reperiuntur (1), *enumerat Cornetum, Perusiam, Plebis Civitatem, Sutrium, Viterbium, ut nunc praeteream sepulcra Etruscorum apud Perusinos, Iguinos, & Tarquinienses a Passerio illustrata apud Gorium* (2), *de quorum uno inferius sermo recurret, ceteraque Tuderti, & Corneti Monumenta, quae in singulis fere Etruscorum Monumentorum Voluminibus, quae huc usque prodierunt, occurrunt. Quid si etiam Passerio* (3), *& Guarnaccio* (4) *assentiamur, Arimnum Tuscorum Regem, de quo Pausanias* (5), *tum Arimniae Gentis, cuius in hac Cortonensi Inscriptione mentio est:*

RAVNTV . ARMNI . VIL . LXXV
Rantis Arimni, qui vixit annis LXXV.,

tum & Ariminensis Civitatis originem primam exstitisse? Verum haec hactenus.

v. *Habes interea caussas, Erudite Lector, ob quas Etruscorum Alphabetum Cimeliis, typisque nostris commendare voluerimus. Nunc id reliquum est, ut de Alphabeto ipso aliqua proloquamur. Posteaquam detectae, & in apricum pro-*

---

(1) *Loc. cit.* §. XLIV. *pag.* 93., & *seqq.*
(2) *Mus. Etrusc. Tom.* III. *pag.* 99.
(3) *Cit. Paralipom. &c. de Nominib., Praenominib., Cognominib., & Metronymicis Etruscor. p.* 218.
(4) *Loc. cit. pag.* 262.
(5) *Eliacor. I.*

prolatae ſunt celebres Iguinorum Tabulae, inſignia nempe illa Ritualia Monumenta, ſeu Divûm preces, & Litaniae, quod contigit anno CIↃCCCCXLIV., *plures Scriptores, quorum aliquos ſupra laudavimus, in id deinde ſuam ipſorum curam collocarunt, ut aliquid ſaltem de litteris, quibus eaedem Tabulae ſcriptae ſunt, ſtatuerent. Quare pluria diverſis temporibus Etruſcarum Litterarum, quibus ſcilicet Iguina Monumenta inſtructa ſunt, Alphabeta concinnari coeperunt, quae duplici Tabula, veluti uno obtutu, a Cl. Viro Antonio Franciſco Gorio* (1) *expreſſa ſunt, ut videre eſt in Praefatione ad eius Alphabeti defenſionem, quam Florentiae anno* CIↃIↃCCXLII. *publici iuris fecit; & cuius inferius etiam a nobis mentio fiet. Horum Alphabetorum primas ducunt duo Alphabeta, quae omnium primus edidit Theſeus Ambroſius anno* CIↃIↃXXXIX., *quibus ſuccedit tertium a Petro Franciſco Gambullario cuſum anno* CIↃIↃXLIX, *tum quartum a Sancte Marmocchinio Ord. Praedic. vulgatum anno* CIↃIↃL., *deinde quintum a Paullo Merula proditum anno* CIↃIↃCV., *ac dein a Gruterio etiam adſcitum, & denuo editum; quod ſexto loco ſubſequitur aliud a Gabriele Gabrielio Eugubino propoſitum; hinc ſeptimum habetur, quod auctorem agnoſcit Coſmum de Rena anni* CIↃIↃCXC., *octavum inſuper, quod eſt*

(1) *Cit. Opere, cui titulus: Difeſa dell' Alfabeto degli antichi Toſcani &c. Tab.*IX. *num.* I., *&* II. *pag.* CXXXIX.

eſt Philippi Bonarotii anni CIↃIↃCCXXVI., *nonum praeterea, quod ex Edmundo Chishullio agnoſcimus anni* CIↃIↃCCXXVIII., *quodque ex eo deinceps rurſus protulit anno* CIↃIↃCCLIX. *in ampliſſima Tabula Cl. Vir Carolus Mortonius Medicinae Doctor, & Societatis Regiae Londinenſis a Secretis; decimum quinetiam, quod a Ludovico Bourguetio concinnatum eſt anno* CIↃIↃCCXXXIII., *ac tandem undecimum, quod Gorii eſt anni* CIↃIↃCCXXXVII., *& duodecimum, quod Maffeii eſt anni* CIↃIↃCCXXXIX., *quorum utrumque omnium poſtremum prodiit, & multis animorum diſſentionibus originem praebuit. Verum nos de huiuſmodi contentionibus parum ſolliciti Alphabetum Etruſcum nunc exhibemus eo prorſus modo, quo Cl. Gorius primum edidit in Tomo I. Muſei Etruſci inter Prolegomena* (1), *ac denuo iterum propoſuit in laudata ipſius Alphabeti defenſione adverſus Maffeium* (2). *Quamquam nos modo non ita animo comparati ſimus, ut in tanta rerum obſcuritate, & incertitudine iudicium proferre, aut unius opinionem alterius ſententiae proponere nos poſſe cenſeamus, tamen cum Gorio noſtro multis in partibus Bonarotius* (3), *magnus ille eruditionis, & doctrinae Promuſcondus, praeluxerit, tum Gorio Paſſerius, Oliverius, Plancus, Guarnaccius, Cultellinius*

(1) *Pag.* XLVIIII.
(2) *Tab.* II. *pag.* 33.
(3) *Loc. cit.* §. XLI. *pag.* 85.

linius, Venutii, ceterique Etruriae Myſtae celeberrimi dein acceſſerint, cumque tandem luculentiſſima illa adverſus Maffeium Defenſa Alphabetum ſuum non modo ſat feliciter, veroſimiliterque Gorius propugnaverit, verum etiam Maffeiana diſcrimina, & additamenta ſtrenue excuſſerit, & improbaverit, ſatius propterea eſſe duximus cum Gorio, aliiſque ſtare, quam aliter cum Maffeio ſentire. Etruſcum vero Alphabetum, quod eodem anno CIↃIↃCCXXXVII. edidit Andreas Adamius Vulſinienſis(1)*, adeo cerebroſum, ac pene monſtroſum eſt, ut inter varia Etruſcarum litterarum Alphabeta, quae collegit Gorius, haud recenſeri meruerit. Verum nunc nequaquam inficiabimur, Cl. Monachos Benedictinos Congregationis Sancti Mauri aliquid nobis ſcrupuli, & difficultatis iniecisſe, cum in egregio eorumdem novo Rei Diplomaticae Tractatu non ſemel* (2) *Etruſcum Alphabetum proponere, ac tueri ipſos animadvertimus, quod XXV. conſtat litteris, quas ipſos* (3) *ex Dempſterii, Gorii, & Cortonenſium Sociorum exemplaribus, tum potiſſimum ex Bourguetii ſyſtemate collegiſſe profitentur. Huiuſmodi Alpha-*

---

(1) *Storia di Volſeno antica Metropoli della Toſcana &c. In Roma* 1737. *Tom.* I. *Lib.* I. *pag.* 31.

(2) *Nouveau Traitè de Diplomitique &c. Tom.* I. *Par.* II. *Sect.* II. *Cap.* XII. *pag.* 654. *Tab.* VII. *num.* II. *& Tom.* II. *Par.* II. *Sect.* III. *Cap.* II. §. II. *pag.* 71.

(3) *Ibid. Tom.* I. *Par.* I. *Sect.* II. *Cap.* XII. §. V. *p.* 661.

Alphabetum laudati Monachi, Bourguetium ſequuti cum Samaritano, Graeco, Arcadico, & Pelaſgico pariter comparant, quibus omnibus idem quoque reſpondere contendunt. Quare Bourguetiano Alphabeto, quod XXIV. *litteris conſtat, ut videre eſt apud Acta Academiae Etruſcae Cortonenſis* (1), *& cui eiſdem inhaerere fere religio eſt, litteram* C *addiderunt, atque* O *brevem, ac longum ſtatuerunt, ut & apud Graecos uſuvenit. Ceterum cum coniecturis niti eoſdem etiam nobis viſum fuerit, quarum nonnullas in dubium quoque revocare facile eſſet, hinc haud a propoſito noſtro amoveri paſſi ſumus; quamquam tamen nec Gorianum ipſum Alphabetum, cui nos inhaeremus, omni exceptione immune eſſe exiſtimemus, praeſertim cum Cl. Virum Reginaldum Sellarium Cortonenſem de Etruſco Alphabeto cumulando, perficiendoque laborare intelligamus.*

VI *Verum nunc de Litteris, ſcriptione, & Lingua Tyrrhenorum pauca addenda erunt, ut Lectori noſtro huius emortuae, & incognitae iam fere penitus Linguae notio aliqua conſtet. Quare Alphabetum Gorianum ex* XVI. *coaleſcit litteris, quot ſcilicet Cadmum primum ex Phoenicia in Graeciam attuliſſe perhibent. Duodecim ſimplices ſunt, ſcilicet* A E I K L M N P R S T V, *duplices vero quatuor* Ξ Θ Φ X, *quibus accedit*

B H,

(1) *Saggi di Diſſert. Accadem. di Cortona Tom.* I. *pag.* I.

H, *aſpirata nempe, auxiliaria, ac ſuperaddita littera, quae niſi ſola ſit, tribus poſterioribus duplicibus comprehenditur. Quamquam vero Goriano Alphabeto omnino adhęrere nobis propoſitum ſit, tamen variis litterae* A *formis alteram ſic expreſſam* ⋀, *ut & litterae* R *variis item formis alteram hoc modo ſignatam* Я *nos modo addemus, quarum utraque in Iunonali Sacra Menſa Herculanenſium ad calcem adducenda inter Monumenta veterum Etruſcorum uſurpata reperitur. De littera* Q *quinetiam, quae in eodem Alphabeto deſideratur, aliqua dicemus, monentes nimirum Etruſcum elementum* Ϙ, *quod bis invenitur in Etruſca Columella, de quo Paſſerius in Diſſertatione de Etruſcorum funere* (1), *quoadque raro in aliis monumentis occurrit, adhuc non conſtare, num referat* CH, *ut Bourguetius, vel* K, *ut Gorius cenſuit, vel, ut aliis viſum eſt, potius ad* Φ *Graecorum pertineat. Ceterum facile ſuſpicatur Paſſerius, hinc apud Latinos ortam litteram* Q, *quae ut formam, ita etiam poteſtatem retineat. Diphthongi quinetiam* AE, *&* EI *praeſertim, erant Etruſcis, quarum prima in* E *reſolvebatur, & in Inſcriptione* Aeliae *habetur, altera vero, ut* I *pronuntiabatur, & in laudata Iunonali Sacra Menſa Herculanenſium occurrit, quae, ut & ſuperior Inſcriptio inferius adducta a nobis nunc eſt. Etruſci*

(1) *Muſ. Etr. Tom.* III. *pag.* 100.

ſci vero ut plurimum a dextera ad laevam ſcriptitabant, ut & Bonarotius (1) *praeſertim oſtendit. Verumtamen Romanis omnia occupantibus, Etruſcorum litterae veterem formam amiſerunt, ut dein non a dextera ad ſiniſtram eorum more, ſed a ſiniſtra ad dexteram more Romano ſcriptio fieret. Verumtamen huiuſmodi poſtremae ſcriptionis exemplum unicum habetur ex Bonarotii fide* (2), *quod ſcilicet exſtat in altero ex operculis ollarum fictilium, quae inter Oppida Podii Bonitii, & Caſtellinae repertae fuerunt; Quamquam dein plura alia poſt Bonarotium emerſerint, quae apud Gorium praeſertim in Muſei Etruſci Voluminibus videri poſſunt; quaeque ſane inclinantis gentis, & Linguae Etruſcae ſigna cenſeri debent, ut & ipſae Epigraphes Etruſca ſimul Lingua, & Latinis characteribus elaboratae idem produnt. Quid autem de Lingua ipſa Etruſca cenſendum ſit, utrum ſcilicet ab Hebraica, ut Mazochius, an a Graeca, ut Bourguetius, & Gorius, vel ab utraque, ac vetere Latina ſimul, ut Paſſerius exiſtimavit, derivanda ſit, non ego is ſum, qui modo inter tot praeclaros Scriptores in diverſa abeuntes Iudex aſſideam, aut a me definiri poſſe confidam, praeſertim cum Maffeius, Lamius, aliique emunctae naris Viri omnes huiuſmodi conatus, tamquam inanes ut plurimum traducendos*

(1) *Loc. cit.* §. XLII. *pag.* 90.
(2) *Loc. cit.* §. XLV. *pag.* 100. *Tab.* LXXXIV. *n.* 4.

iudicaverint . Quare opinari unicuique pro ſententia ſua per nos liceat , quandoquidem Cimmeriis in tenebris , ubi nil fere lucis affulget , aegre cordatus homo quidquam tentabit , nedum ſtatuet . Semper ergo incertum ſummopere erit , quid Etruſcae ſcriptiones obvolvant , etſi eiſdem magnorum Virorum interpretationes acceſſerint . Ceterum ſi quid lucis ſperandum eſt , omne id ex bilinguibus Monumentis , Latinis ſcilicet , & Etruſcis ſimul iunctis petendum videretur . Commode Paſſerius cenſuit duas Eugubinas Tabulas Latinis exaratas litteris , ac Pelaſgico idiomate conceptas ceteris Etruſco charactere , & ſermone expoſitis reſpondere . Tum etiam Cl. Oliverius (1) Caii Fatii Haruſpicis Inſcriptionem Latine , & Etruſce loquentem unum , idemque protendere exiſtimavit , ut Etruſca nimirum Latinae omni-

no reſpondeat ; quamquam hanc ipſam Epigraphem Paſſerius (2) Sacra Deorum Lingua , quae quidem a vulgari Etruſca , in ceteris nimirum uſurpata Monumentis inſigniter differat , concinnatam velit , quod Dempſterius ipſe (3) , & Paſſerius (4) quin etiam de Eugubinis Tabulis cenſuerunt . Verum ut huius aſſertionis teſtimonium , ac ſpecimen quodammodo Lector noſter in promptu ,

---

(1) *Marmor. Piſauren. pag.* 11. *n.* XXVII.

(2) *Lettera I. Roncaglieſe pag.* 367. *Tom.* XXII. *della Raccolta I. d' Opuſcoli del P. Calogerà .*

(3) *Loc cit.* §. XLVI.

(4) *Ibid .*

ptu, ac ſub oculis habeat, heic nunc ipſam Epigraphem ſubiicimus Etruſcam lineam ob paginae exiguitatem in duas redigentes:

...TATIVS . L . F . STE . HARVSPE . .

FVLGVRIATOR

ꟻ ꟼ ꟻ ꟼ ꟼ ꟻ . ꟼ ꟻ ꟼ ꟻ ꟼ ꟻ . ꟼ ꟻ . ꟼ ꟻ . ꟼ ꟻ ꟼ ꟼ ꟼ ꟻ

. ꟼ ꟼ ꟻ ꟼ ꟼ ꟼ

Hanc ſic legunt, qui Goriano Alphabeto inſiſtunt, & ipſe Oliverius praeſertim:

Ca . Fates . Lr . Lr. Netmuis . Trutnut .
Frontac .

Quare Ca. Fates *eſt Oliverio* Caius Fatius, *cum non* T *initio mutilae Inſcriptionis, ſed* F *haberi exiſtimet, ubi &* C. *praenomen evanuit.* Lr. Lr. *eidem ſignificare videtur* Lartis Filius, *quod* Lar *Etruſcorum in* τὸ Lucius *a Romanis converſus fuerit.* Netmuis *reſpondet* Stellatinae *Tribui, in qua Vrbinum praeſertim Piſauro proximum cenſebatur, ut Fabrettius* (1) *obſervavit, & cuius nomen, etſi ex Feſto Tuſcorum redoleat originem, cum nempe Stellatinus Ager in Etruria ſitus eſſet, tamen ab Haruſpice forte reprobatum eſt, quod vulgaris eſſet idiomatis, ut idem Paſſerius ſuſpicatur* (2). *Ceterum quoad Etruſci*

(1) *Inſcr. Domeſt. Cap.* IX. *pag.* 664. D.
(2) *Ibid. pag.* 368.

vocabuli ſignificationem ; & quoad eius cum Latino rationem Oliverio haeret aqua. Paſſerius vero aliquid tentavit (1), *dum* Ναύσαθμον Navale, *aliaque Graeca vocabula huic ſimilia cum* Netmuis *comparavit, ut vox haec etiam Stellatinae tribui, quam a Graeco verbo* στέλλομαι navigo *ipſe derivat, reſponderet, cum ſcilicet alter Stellatinus ager ab eo, qui in Campania erat, diverſus, ultra Capenam mare verſus protenderetur, & Feroniae Lucum comprehenderet. Verum quis adeo incerta mercetur?* Trutnut *vero eidem Oliverio eſt a* trutinor, *quaſi* trutinatores *eſſent* Haruſpices. *Tandem* Frontac [*non* Frqntac, *ut legit Bourguetius*] *a* βροντάω tono *petendum putat, commutato* B *in* F, *ut ſaepe uſuvenit, ut proinde* Frontac *idem ſit, ac* Fulgurator, *quemadmodum apud Pindarum Iuppiter Dorice* ἀιολοβρόντας velocia tonitrua excitans *compellatur. Urna quinetiam marmorea Arretii reperta ex Muſeo Stozziano profertur a Bonarotio* (2), *& a Gorio* (3), *quae duplici quoque Inſcriptione, Etruſca nimirum, & Latina inſtructa eſt; verum ex ſententia Bonarotii* (4) *nil una cum altera com-*

(1) *Lettera VI. Roncaglieſe pag.* 439., *&* 440.
(2) *Loc. cit. Tab.* LXXXIII. *num.* 6.
(3) *Difeſa dell' Alfabeto Etruſco; Preſaz. pag.* CV.
(4) *Loc. cit. §.* LXV. *pag.* 101.

commune habet, quandoquidem Latinam Inscriptionem post Etruscam additam Viri fuisse putat, qui cineres suos recondi voluerit, vel cum ossiculis Uxoris, vel Patris, vel alterius consanguinei Etrusci; nam eidem haud verosimile videtur, Romanum Virum, eiectis Cineribus defuncti Etrusci, suos in eadem Urna, ut sumptui parceret, reponi voluisse, cum id & universa gentium religio, & praecipue Romanorum in mortuorum Manes refugeret. Tum aliud Etruscam, ac aliud Latinam Epigraphem protendere, patet etiam ex Passerio (1), *qui hoc ipsum Monumentum litteris tantum communibus refert, quod tamen ita in prototypo cubat:*



Q. FOLNIVS . A . F . POM

FVSCVS

Etruscam Epigraphem sic legit Passerius:

Aelye . Fulni . Aelyes
Ciarti . Alisa.,

ut sensus sit: Aelia Folnii Aeliae Ciartii aeternae memoriae; Alisa *enim eidem est ab* α, *&* λήσω, *id est* non obliviscor. *Quare nihil*

 utri-

(1) *Lettera VI. Roncagliese num.* 71. *pag.* 430.

utrique commune praeter Folniae *gentis nomen, ad quam ſepulcrum pertinuit. Verum ſi Bourguetius* (1) *audiatur, legendum*: Aelshe Fulni Aelshes Kiarthi aliſa; *ac Latine vertendum*: Equitis, *vel* Aurigae Folni Equitis Cymba. *Rideat interea aequus Lector, qui ab huiuſmodi ſomniis vel expendendis, aut definiendis abhorret, & cuius nihil interest, an hac, vel illa quis ratione exponat. Ceterum idem Bonarotius* (2) *Urnas tam Latinas, quam Etruſcas in Crypta Cluſii ex fide incolarum detectas affirmat, quas cum nemo adhuc, quod ſciamus, adduxerit, quid de ipſis proinde ſtatui poſſit, ignoramus. Verum heic a nobis haud praetermittendum venit, anonymum quemdam* [*qui Hieronymus Zannettius a quibuſdam habitus eſt*] *anno* CIↃIↃCCLI. *Opuſculum* (3) *edidiſſe lepidum, ac feſtivum ſatis, in quo prope Ravennam in Theodericum Oſtrogothorum Regem, & in Caſſiodorum eidem a Secretis incidiſſe fingit, ac cum ipſis de Etruſcis Monumentis conſerto ſermone, Litteras, quibus eadem inſtructa ſunt, Geticas, ac Runicas potius, quam Etruſcas ſtatuendas comminiſcitur, ut proinde ex barbarorum irruptione in Italiam*

---

(1) Diſſert. *ſopra l'Alfabeto Etruſco pag.* 15: *Tom. I. de' Saggi di* Diſſert. *Accademiche di Cortona.*

(2) *Loc. cit. pag.* 10.

(3) *Nuova Trasfigurazione delle Lettere Etruſche.* MDCCLI. *in quarto di pag.* XXVII.

liam Gothici etiam characteres pervaserint, quibus signata fuerint vasa, tegulae, marmora, numismata, aliaque huiusmodi, quique dein pro Etruscis habiti fuerint. Id etiam nonnullis Runicis, sive Geticis adductis Monumentis, & cum iis, quae Etrusca censentur, facta comparatione, evincere nititur. Verum & ante ipsum plures Septentrionales Scriptores idem tentarunt, ut Maurini Monachi (1), *quibus Opusculum hoc ipsum innotuit, fidem faciunt. Ceterum Passerius id aegre ferens in Vindiciis Etruscis* (2) *asseruit, hanc difficultatem contentionis studio magis, quam veritatis obiectare eos, qui vere in his studiis peregrini laudem sibi aliquam ex cavillatione auspicantur.*

VII. *Aliqua etiam de huius Linguae syntaxi a nobis nunc dicenda supereſſent. Verum adeo exilia sunt, quae huc usque & de nominum casibus, & de verborum temporibus innotuerunt, ut nihil certi statui possit. Id tamen frequenter occurrere animadverti, ut gignendi casus in* al, *& i ut plurimum desinat, quod Passerius praesertim in Roncalienſibus Litteris* III., *&* VIII. (3),

(1) *Loc. cit. Tom.* II. *Part.* II. *Sect.* III. *Cap.* II. §. II. *pag.* 72. *adnotat.* (1).

(2) *Pag.* XXI. *To.* I. *Pictur. Etrusc. in Vasculis.*

(3) *Loc. cit. pag.* 391., *&* 476.

ac alibi (1) *etiam monuit. Utriusque rei simul exemplum instar omnium sit Inscriptio in Urna fictili, litteris ex atramento pictis in interiori Operculi parte, quae olim erat Florentiae in Museo Cerretanio, nunc apud Cl. Comitem Blanconium Bononiensem Saxoniae Electoris a Consiliis, & Romae Oratorem adservatur, quamque Passerius bis, & tertio* (2), *& Gorius non semel* (3) *etiam adduxerunt. Haec ita se habet:*

Cai . Hereni . Petinatial

Verum quid plura commemorem? Addeat, si plura velit eruditus Lector, laudata hucusque Opera, & Roncalienses praesertim Passerii nostri Litteras, tum & Paralipomena ad Etruriam Regalem Dempsterii, ubi Lexicon vocum Etruscarum, quae in Tabulis Eugubinis scriptae sunt (4), *inveniet, atque*

---

(1) *De Etruscor. Sepulcris &c. Diatriba* §. IX. *pag.* 108. *Tom.* III. *Mus. Etrusc.*

(2) *Lettera Roncagliese* VIII. *num.* 110. *pag.* 476., *Acheronticus, sive de Ara Sepulcrali pag.* 75. *To.* III. *Mus. Etrusc., & Paralipomena ad Etr. Reg. Dempsterii, de Nominib., Praenominib., Cognominib., & Metronymicis Etruscor. pag.* 222.

(3) *Mus. Etr. Tom.* II. *pag.* 413., *& Difesa dell' Alfabeto Etrusco pag.* 92.

(4) *Pag.* 323.

atque etiam Italicam Dissertationem Ioſephi M. Riccobaldii de Bava, quae eſt de antiqua origine, ſtatu, lingua, & characteribus Etruſcorum, quaeque Florentiae prodiit anno CIↃIↃCCLVIII. *Ceterum ne deeſſet ſpecimen aliquod characterum, ac lucubrationum inſuper Etruſcarum, aliquam ex Eugubinis Tabulis, aut ſaltem binas Etruſcas Inſcriptiones Avellae rapertas, quae ex* XXXIV. *lineis conſtant, quibuſque poſt Eugubinas Tabulas nullum aliud prolixius, atque praeſtantius inter Antiquitates Tyrrhenicas Monumentum huc uſque innotuit* (1), *exhibere nobis mens fuerat, verum id Editionis noſtrae forma nimis exigua pro huiuſmodi Monumentorum magnitudine prohibuit. Quare tria dumtaxat minora veterum Etruſcorum Monumenta ad calcem proferenda curabimus, quae locum Chriſtianae Catecheſeos, quae ceteris exoticarum Linguarum Alphabetis a nobis adiungi ſolemne eſt, quaeque nunc Etruſce haberi haud poterat, quodammodo teneant. Quamquam & ipſa Chriſtiana Catecheſis, aut quid aliud etiam Etruſce reddi potuiſſet, ſi cuiquam is animus fuiſſet, quem Cl. ceteroquin Viro Ludovico Cultellinio Cortonenſi paucis ab hinc annis magna cum admiratione fuiſſe vidimus, cum doctiſſimo Viro Philippo Venutio Municipi ſuo* Carminibus,

 ſive

---

(1) *Storia Letteraria d' Italia Vol.* VI. *Lib.* III. *Cap.* IV. *num.* II. *pag.* 537.

ſive Naeniis quibuſdam Etruſco idiomate audacter, *ut ipſe ait*, exaratis, atque Latine redditis, *quas typis etiam edidit, tamquam redivivo patrio leſſu parentare non dubitavit. Quapropter primo loco afferemus Etruſcam Epigraphem, quae inſculpta eſt in marmorea Iunonali Sacra Menſa Herculanenſium, quamque edidit, legit, & interpretatus eſt Cl. Paſſerius noſter* (1), *qui eam in Curia Herculanenſis Civitatis poſitam fuiſſe exiſtimat, ut proinde Curialem appellare non dubitet, in qua rerum gerendarum curam praevia libatione Patres auſpicarentur. Ex characterum forma, & litterarum conſonantium geminatione coniicit Paſſerius, Inſcriptionem hanc, quae duplex eſt, una ſcilicet in fronte, alia in altero laterum, ex antiquiſſimis non eſſe, ſed iis concinnatam temporibus, quibus Latinus ſermo cum Romanorum Imperio late per Gentes pervadens cetera idiomata exturbabat. Ob paginae anguſtiam nos in duas alteram lineam diſpeſcemus. Occurret ſecundo loco Etruſca alia Epigraphe, quam ex Hypogaeo Peruſino edidit Paſſerius ipſe* (2), *quaeque a nobis*

(1) *Junonalis Sacra Menſa Herculanenſium Diſſertatione illuſtrata a Cl. Viro Joh. B. Paſſerio, Vol.* I. *Symbolar. Litterar. Florentiae* 1748. *pag.* 193. *Tab. aenea ad pag.* 207.

(2) *Muſ. Etruſc. Tom.* III. *de Etruſcor. Sepulcr. &c.* §. IX. *pag.* 107. *Tab.* V. *Claſſ.* II.

bis ob paginae brevitatem e tribus lineis in ſeptem redigetur, ut tres priores primam lineam, alterae tres ſequentes ſecundam, tertiam ſeptima conficiant. Ibidem in caſu obliquo Duumvirorum quorumdam mentio habetur, ut terminationes in al, *&* i, *de quibus ſupra diximus, oſtendunt. Voces duae* precum, *&* cerurumein [cere *enim idem, ac* ſanctum] *facile Paſſerio ſuadent, heic Sacrum aliquod, vel Dedicationem indicari, aut quid aliud ad ſacros ritus pertinens, cum praeſertim haud a conſueta Manium invocatione initium ducatur. Forte dices, cur haec Inſcriptio Latine reddita non eſt? Iam eo venimus, ubi mures ferrum rodunt. Verum quis ego ſum, qui obloquar, ſilente Paſſerio? De huiuſmodi rebus vel hiſcere dumtaxat Marte proprio, me certe puderet ſumopere. Tandem tertio loco afferemus Etruſcam Inſcriptionem anecdotam, quae quatuor lineis diſtincta inſculpta cernitur in ſiniſtro brachio Pueri aenei, intonſi, ſedentis, bullam ad collum geſtantis, & protendentis dexteram manum, qui in Agro Tarquinienſi prope Cornetum, vetus Etruſcorum Oppidum anno praeterito detectus eſt, quemque Praeſul Conſultiſſimus Franciſcus Carrarius Bergomas, alter in Curia Innocentiana Iudex comparavit, ac nunc aere incidi curat, ut dein dono cedat* CLEMENTI XIIII. P. O. M., *quem ut ſtudioſiſſimum veterum Monumentorum Conſervatorem, & egregium Litterarum Patronum omnes colunt, atque ſuſpiciunt. Cum nos Epigra-*

graphem hanc excripſiſſemus, ſtatim in votis fuit, ut in Paſſerii manus perveniret, a quibus nisi illustrata diſceſſiſſet. Commode a. d. IV. Nonas Octobris elapſi anni, dum Autumnale otium Tuderti in veteri Etruria apud doctiſſimum illius Urbis Epiſcopum Franciſcum M. Paſinium Ariminenſem tranſigeremus, litteras ad nos dedit Paſſerius, quibus & ſigno aeneo ſane elegantiſſimo, & Etruſcae Inſcriptioni ſimul aliquid lucis affunderet. Putat ipſe quapropter, huiuſmodi Puerorum ſimulacra votiva Diis fuiſſe ob eorum reparatam ſalutem, quam aut Iovi puero, aut etiam Tageti vel a cunis admirando acceptam referebant. Epigraphes vero cenſet dedicationes praeſeferre, ut proinde & nomen donantis, & donarii cauſſam exprimerent. Cum ſiniſtrum brachium aliqua ſui parte truncatum ſit, manca proinde ipſa quoque Inſcriptio facta eſt, nec eius ſenſus plane omnino a Paſſerio attingi potuit. Ceterum Veluma *in primis deprehendit, quod ex gentilitio nomine* Velia *derivatum dicit. Dein* Celvans *in* Selvans *ob facilem commutationem* ƨ *in* ʃ *convertit, qua voce ſalutem indicari contendit. Tum voce* Cuer, *quam a Graeco vocabulo* Κόρος *ducit, Puerum ſignificari affirmat. Quemadmodum poſtremo vocabulo* Clan *Filium innui docet, qui tamen ad Matrem, ut Etruſcorum mos erat, referatur, quod iam ipſe in Diſſertatione* De Tegulis Bucellianis (1) *pro-*

(1) *T.* III. *Muſ. Etr. p.* 138. *n.* X., *&* XI. *Tab.* XXVIII.

prodiderat, ubi duas ex Spedoniae Gentis ſepulcro tegulas, Etruſca nimirum, & Latina Inſcriptione ſignatas protulit, in quarum una, quae Etruſca eſt, ſic legitur:

LAR. SPEDO THOCERNA CLAN,

in altera vero, quae Latina eſt, haec habentur:

VEL. SPEDO THOCERONIA NATVS;

ubi ſane Clan *τὸ* Natus *reſpondere citra omne dubium patet, ut & in Paralipomenis ad Etruriam Regalem Dempſterii* (1) *idem Cl. Auctor iam adnotaverat. Sed de Etruſcis Monumentis ſatis.*

VIII. *Verum nunc monitum Lectorem noſtrum volumus, ne quid a nobis ipſis aſſertum putet, dum haec obſcura Etruſcae Litteraturae μυσήρια tractavimus; quandoquidem nobis nec pro tot, tantiſque Viris, quorum memoranda nomina pleno ore uſurpavimus, vadimonium obire eſt animus. Quis enim eorum ſententiis vel certitudinis, vel firmitatis calculus per nos, qui exigui ingenii, & ingloriae famae ſumus, maior umquam accederet? Praeterquamquod veniet forte tempus, quo cordatiores poſteri noſtrae aetatis miracula, veluti aegri ſom-*

(1) *De Nominib., Praenominib., Cognominib., & Metronymicis Etruſcorum pag.* 234.

ſomnia ridebunt. Sic nos etiam Patrum noſtrorum placita minus probata traduximus, haſque nobis vices rependent Nepotes. Ceterum nemo negaverit, aliqua, eaque haud quidem exigua laude dignos eſſe huiuſmodi praeclaros tantorum Virorum conatus, quibus & nonnulla incognita pridem omnino comperta nunc ſunt, quemadmodum eorum ope ad maiora dcinceps detegenda vel impedimenta minuentur, vel etiam accreſcent praeſidia. Scilicet paullatim ad culmen aſcenditur, & priorum tentamina, ac lapſus ſunt fulcra, & documenta poſteriorum. Quare abſit, ut nos doctrinae, ac eruditioni eorum, quorum ſupra meminimus, quidquam detractum voluerimus. Quid enim citra eorum diligentiam obloqui nobis nunc contigiſſet? Caruiſſet quin etiam Typographia noſtra huiuſmodi Cimeliis, nec eadem a nobis ad tui, erudite Lector, oblectamentum, & utilitatem proponi nunc potuiſſent. Habe quapropter eiſdem tu gratias, eorumque adiumentis ad virtutis aquiſitionem, & ad eruditionis progreſſum felix utere, & vale.

ALPHA-

ALPHABETUM
VETERUM ETRUSCORUM
IUXTA
CL. ANTONIUM FRANC. GORIUM.

Figurae variae Litterarum.	*Potestas.*
1.	A
2.	E
3.	I
4.	K
5.	L
6.	M
7.	N
8.	P
9.	R
10.	S
11.	T
12.	V
13. *addita duplex.*	TH

XI.

Ex Hypogaeo Perusino.

Hoc est:

Ceben . Suthi . Hinthiu . thuem :

Sianmetue . Taure . Lautnemcle :

Careſri . Aulem . Larthial . Precuthurami .

Larthialiſule . Ceſtnal . Crenaramileth .

Fanu . Lautn . precum . ipa . murxua .

Cerurumein .

Hecxri . Tunur . Clutiva . Xeli . . . . . r

III.

Ex Signo aeneo Pueri reperto in Agro Tarquinienſi anno CIƆIƆCCLXX.



Hoc eſt:

. . . . *vas* . *Veluma* .

. . . . *is* . *Celvansl*

. . . . *es* . *Cuer* . *thuethli*

. . . . . *Clan* .

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Jordanus Patr. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius, Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SPECIAL 93-B
3841